



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Capvt VIII. Altera Ecclesiasticorum Dignitas, quod Clerici sunt pars & hæreditas Domini; & vicißim Dominus est pars & hæreditas illorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

## CAPVT VIII.

ALTERA ECCLESIASTICORVM DI-  
gnitas, quod Clerici sunt pars & hereditas Domi-  
ni; & vicissim Dominus est pars & ha-  
reditas illorum.

§. HOC bene docet sanctus Hieronymus epistola 2. ad Ne-  
potianum capit. quinto. *Κληρος, græcè fors, latinè ap-  
pellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Do-  
mini, vel quia ipse Dominus fors, id est, pars Clericorum est, qui  
autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet;  
talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possi-  
deatur à Domino.* *Qui de sor-  
te Dei.*

§. Nec quicquam siue in præsentī, siue in futuro  
seculo felicius illo est homine, quam quem possidet  
DEVS, & qui DEVM possidet, Psal. trigesimo secundo, ver-  
siculo vndecimo. 12. *Beata gens, cuius est DOMINVS DEVS,  
populus quem elegit in hereditatem sibi. Terque quaterque  
felix is populus, & quisque singillatim in hoc populo,  
qui vniuersorum Dominum, vt suum Deum agno-  
scit, suspicit, veneratur, quem proinde vicissim Deus  
vt suum populum & hereditatem, possidet, excolit,  
custodit, ac ingentibus beneficiis cumulat. Nonne  
Ecclesiasticus  
populus Do-  
mini.*  
talis est piorum Ecclesiasticorum populus! Vtique  
si quis alius. Id significat DEVS Moyli. Numeror. tertio,  
versiculo quarto, & 45. *Tolles Leuitas mihi, erunt que Leuita  
mei, ego Dominus. Numerorum decimo octauo, versiculo vige-  
simo. Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil posside-  
bis, nec habebis partem inter eos, ego pars & hereditas tua in  
medio filiorum Israel. Quod & repetit DEVS Deute-  
ronom. decimo, versiculo nono. & Deuteronom. 18.  
vers. 1. 2.*

Quid causa  
ut alimenta  
sacri den-  
tur homini-  
bus.

Qua opera  
suscipienda  
Ecclesiasticis

Cur autem id Deus constituerit causa est, ut soluti en-  
ris externis, liberius Deo eiusque cultui vacarent, quem-  
admodum declarat religiosissimus rex Ezechias Para-  
lip. 31. v. 4. de quo ibi Scriptura: *Præcepit et populo habi-  
tantium Ierusalem, ut darent partes sacerdotibus & Levitis, ut  
possent vacare legi Dei.* (Non commestationibus, non li-  
bidinibus, non corradendis pecuniis, & id genus vi-  
tiosis actionibus.)

§. Hanc partem suam, quam nacti sunt, si eius pre-  
tium agnoscerent, Ecclesiastici exornarent, & præ illa  
nihil appeterent. Id nos docet *S. Augustinus suo in Psal.*  
*32. Comment.* Vbi ait; *Vnde beati erimus, Deum possidendo,*  
*Quid ergo? Nos possidebimus eum, & ille nos non possidebit?*  
*Vnde ergo Isaias cap. 26. v. 17. (secundum 70.) Domine posside*  
*nos? Possidet ergo & possidetur, & totum propter nos, ut nos*  
*beati simus.*

## CAPVT IX.

**TERTIA ECCLESIASTICORVM DI-  
gnitas. Clerici sunt Apostolorum Ecclesie Princi-  
pum successores, & eiusdem Ecclesie sponsa  
Christi custodes.**

§. **I**TA docemur *Isaiæ 62. v. 6. Super muros tuos Ierusalem  
constitui custodes tota die & tota nocte non rabeunt.* *S. Hiero-  
nimus in cap. 1. prioris Corinthiaca.* *Quia sacerdotes,*  
*inquit, & suo & Apostolorum loco funguntur, propter hoc eti-  
am Ecclesiarum Apostoli nominantur.* Quamquam sanctus  
*Clemens Epistola ad Jacobum fratrem Domini. Beatus Anaclerus epistola 2. ad vniuersos Italiae Episcopos*  
*cap. 2. & epistol. 3. cap. 1. S. Leo epistol. 50. docent Epi-  
scopos esse Apostolorum successores, Presbyteros 72.  
Discipulorum, sed & hæc maxima dignitas est, nume-  
rari inter eximios Christi liberatoris discipulos.*

CAPVT